

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Programma In funere ... Dn. Johannis Cothmanni, S.S. theol. D. Professoris & Facultatis eiusdem Senioris venerandi. Cuius sepulturae magnifica dictus est hodiernus dies, 10. Octobris**

Rostochi[i]: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746960840>

Druck    Freier  Zugang





Kl. 241. (2.) <SON>



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn746960840/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746960840/phys_0003)

DFG



12

# PROGRAMMA

In funere

Magnifici Dn. RECTORIS

Viri admodum Reverendi Clar. & Excellentissimi

DN. JOHANNIS COTH-  
MANNI, S. S. Theol. D. Professoris  
& Facultatis ejusdem Senioris  
venerandi,

Cuius sepultura magna dictus est bodiernus  
dies, 10. Octobris.

propositum.

DECANO & Collegio THEOLOGICO

in Universitate Rostochiensi,

MS(O)S



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr. 1650.



**N**Spera eheu fata & lamentabilis  
jactura! Triennio necdum elapsi  
luxit Facultas nostra Senioris sui  
plur. Reverendi & Excellentissimi  
D.N. JOHANNIS QUISTOR-  
PII, S.S. Theol. D Professoris & Ec-  
clesiae in hâc urbe Superintenden-  
tis, Viri celeberrimi, deq; re literariâ & studio Theolo-  
gico benè meriti p. m. discessum ex hâc vitâ inspera-  
tum. Vulneratam se isto casu agnovit graviter. Nunc  
recrudescit vulnus vix ac ne vix quidem ad cicatricem  
ductum, novo insuper inflicto. Excipit quippè Senio-  
rem, in cùdem mortalitatis serie, itidem Facultatis no-  
stræ Senior', Vir plur. Reverendus & Excellentissimus  
Dn. JOHANNES COTHMAN, S. S. Theol. D. Pro-  
fessor & Universitatis nostræ Rector Magnificus. Di-  
gnitate propè pares parem ferè exitum sortiuntur.  
Ille Magistratu paulò antè deposito, Hic mox depo-  
nendo ( siquidem in portu navigabat ) fragile simul  
corporis sui tentorium deponunt. Uterq; mortis suæ  
non semel vates ac prænuncius, uterq; proprio mul-  
tisq; inopinato casu, tametsi alter altero aliquantò ce-  
leriorius, extrâ lares domesticos confessus, vitam finit.  
Itanè verò, *dicer*, abripiendi fuerunt Theologi insignes,  
ijq; Seniores? Ità visum est Domino univerli, cuius ju-  
dicia pariter ac viæ, tuas nostrasq; omnium cogitatio-  
nes infinitâ distantia vincunt. Is, prout quemq; certâ  
statione locat, sic evocat vicissim pro voluntate liber-  
rimâ

rimā , nec tibi vel ulli c r e a t u r a r u m rationem reddere  
tenetur de modo agendi. Desine igitur curiositatis,  
quisquis illi vitio te dedisti, & ipse summum vitæ mor-  
tisq; imperatorem , quod satius est , maturè revereri  
disce. Neq; verò refert, quo mortis genere, repentina an-  
lento, quovè loco aut tempore aliquis d e b i t u m naturæ  
exsolvat, quod solvendum omnibus, dummodò melio-  
rem sui partem creatori ac redemptori reddat. Nec  
nobis quidem obitus istorum virorum , mirum quid vel  
improvisum usq; quaq; videri potest , qui gnari sumus  
constitutionis corporum eorum, & morbi, quo aliquan-  
diu laborarunt, ducentis paulatim ad mortem; præser-  
tim cum & ipsi roties audiverimus ex ore illorum que-  
relas de prostratis viribus, & hinc emergente sensibili  
languore ac debilitate, publicè privatimq; ingemina-  
tas, & præterea vel ex habitudine, vultu, incesu vivam  
quandam mortis imaginem notayerimus. Interim hæc  
& similia fortuitò vel frustrà evenire, nemo, velim,  
credat, aut parvi aestimanda statuat. Exempla sistuntur  
perversæ generationi; ad poenitentiam non cras demum  
sed HODIE agendā clare invitatiā. Et quid aliud, quæ-  
so, ejusmodi casus loquuntur & ubi domū ab aliis reduci  
mortuum vel agonizantem cernis , qui vivus domo  
exierat, nisi hoc, ut nunquam non cogitare velis, ô ho-  
mo, quisquis fueris, non esse tibi in terris civitatem ma-  
nentem, sed tibi te à morte exspectari, ideoq; inqui-  
rendum semper unicam illam futuram sedem stabilem,  
& in id maximè intendendum tibi, ut ipse mortem quo-  
vis tempore & loco antevertas; hoc est , talem te pares  
et tu, qualem Deus poscit, civem nempe cœli & æter-  
næ beatitudinis candidatum. Nihil hic tribuendum vi-  
ribus natu ræ. Debentur omnia gratiæ divinæ, quodq;  
donum Dei est, fidei salvificæ: Sed & cavendum sum-  
moperè,

in opere, ne pro fide vera, fictam, pro hypostasi & cetero,  
cho, vanam opinionem teneas, adeoq; temet ipsum sto-  
lide decipias. Vera fides recumbit in solius Christi me-  
rito, & haec porrò cum affectu & proposito peccandi  
neutiquam consistit, quin potius, secundum dictum  
Spiritus Christi, ad seriam & constantem de peccatis  
quibuslibet, quos immensis cruciatibus & morte suâ  
Deus expiavit, dolorem impellit. Vacuam verò & alienam  
ab hac fide mentem gerunt, qui ex contemptu Dei,  
insectatione ac persecutione fratrum, & vitæ luxuriâ,  
(ad haec enim tria capita revocari possunt, quibus posi-  
tus in maligno mundus; quo nomine merito appellan-  
di sunt, qui Christianos se mentiuntur, vel hodiè maxi-  
mè occupatur, actiones & studia) ne tedium quidem,  
nec dum tristitiam, multò minus detestationem eorum  
concipiunt. Sed missos hos ipsos facturis illorum com-  
mendamus instituta rectissima, quibus & temere de-  
quopiam judicare, & pietatem vitæq; emendationem,  
juxta cum ducentibus ad haec mortalitatis documentis  
publicis, potissimum quæ in luctuoso præclarorum vi-  
rorum fato cernuntur, susq; deq; habere religio est.  
Nos verò hac vice, quem debemus, honorem postre-  
num, piè defuncto Facultatis nostræ Seniori, Collegæ  
& amico nostro venerando, relatis breviter, quæ ex au-  
to grapho illius, de vita ab ipso peractæ cursu nobis  
innotuerunt, eâ quâ par est reverentiâ reddemus. Natus  
est vir admidum Reverendus Clar. & Excell. Dn. JO-  
HANNES COTHMAN, S. S. Theol. D. Professor,  
Senior, & Rector Academiæ Magnificus, Hervordiæ,  
quæ civitas in Westphaliâ est, non infimi nominis, An-  
no 1595. circâ S. Bartholomæi feriam, Patrem suscepit  
**LUDOLPHUM COTHMAN**, ibidem ad SS. Jo-  
hannis

hannis & Dionysij Canonicum & Scholast. ut appellant. Matrem CATHARINAM Dickhofes / JO DO-  
CI Dickhofen/Senatoris Bilfeldiensis filiam, fœminam  
pietatis maximè studiosam, & rerum domesticarum  
peritissimam. Avum paternum HERMANNUM  
COTHMAN, Præpositum Ecclesiæ Schilicensis. Avi-  
am, ANNAM Elers/honestissimæ famæ matronam. A  
nativitate carnis, renatus est per aquam & Spiritum, &  
sic consors Christi factus. Succedentibus annis, nihil  
horum intermisserunt parentes, quæ ad rectam educa-  
tionem, tum unici hujus filii, tum filiæ unius Catharinæ  
facere potuerunt, quæq; in exemplis pariter & monitis  
salutaribus consistunt. Perceptis in Scholâ patriâ pri-  
mis literarum principiis, & utroq; parente fatis fun-  
cto, adjutus autoritate & consilio amicorum, cumpri-  
mis Amplissimi & Consultiss. Viri, Dn. JO HANNIS  
COTHMANNI, J. U. D. Consulis Reip. Osnabru-  
gensis gravissimi, Patrui sui, quem parentis loco habuit  
& observavit, ad Osnabrugensem Scholam se contulit  
Anno 1612. ibiç; per triennium literis operam porrò  
dedit. Hoc exacto, cum videretur jam Academicis stu-  
diis accommodus, salutavit Giessensem Academiam,  
promovente id ipsum institutum Rev. & Clar. Viro  
Dn. WOLFGANGO HELVICO, Ecclesiæ  
Osnabrug. Superintendent. Giessæ verò quadrienni-  
um cum semestri spacio commoratus, de arduis doctri-  
næ Christianæ articulis, sub præsidio, insignium Theo-  
logorum D. JOH. WINCKELMANNI, D.  
BALTHASARIS MENTZERI, cuius fidei  
præ reliquis commissus fuerat, item D. GISENII  
& D. JUSTI FEURBORNII, non semel disseruit. An-  
no 1619. qui Academiæ nostræ natalis est, Rostochium

A 3

venit

venit, & sub primordio adventus sui, vigente publicâ Jubilæi Academicî festivitate, in confessu Illustriss. Principum Meckelnburgicorum, Dominorum nostrorum clementiss. & Amplissimi hujus Urbis Senatus Legatorum, Syllogismum Antichristo Romano oppositum, auctore & præside Dn. JOH. AFFELMANNO, Theol. Doctore ac Professore celeberrimo, defendit. Huic postea Anno 1622. addidit Disputationem contrâ D. FRANCIUM, Professorem Francofurtanum, pro quâ deinceps etiam Apologiam, cui titulus Duellum Eucharisticum, conscripsit. Vocatus Anno 1625. ab Illustriss. & Celsiss. Principe ac Domino, Domino JOHANNE ALBERTO, Duce Meckelnburgico, felicissimæ recordationis; Theologiae in hâc Academiâ Professor, anno sequenti Wittebergam adiit, ibi demq; postquam, peracto ab Excellentissimis deq; Ecclesiâ Christi optimè meritis Theologis D. BALDUI-NO tunc temporis Decano, D. MEISNERO, & D. JACOBO MARTINI, tentamine rigoroso, primò Lectionem publicam super c. 15. prioris Epist. ad Corinth. postmodum Disputationem Inauguralem de votis monasticis, & præterea Concionem Doctoralem, ut vocant, die Ascensionis Dominicæ expeditisset, ac ipsum deniq; Examen accuratum subiisset, testibus literis ad Illustrissimum Principem nostrum à Facultate ibidem Theolog-datis; renunciatus est auctoritate publicâ à Dn. D. MEISNERO, Theologiae Licentiatus: Quam dignitatem auxerunt Anno 1634. honores Doctoratus, quos ab ejusdem Universitatis Witteberg. Collegio Theologico absens retulit. Lipsiam quoq; & Jenam occasione datâ visitavit, & hinc contractâ amicitia, cum Theologis dictarum Academiârum, literas aliquo-

aliquoties commutavit. Muneri Professionis suæ, quod  
Anno 1626. die 24. Julij publicè suscepit, quâ potuit  
sedulitate, & quo usq; per vires corporis ei licuit, legen-  
do ac disputando impiger præfuit. Disputationes edidit  
contrà Wendelinum, Schillerum & alios, ut reliquas ta-  
ceamus, quas super libros Ecclesiarum nostrarum sym-  
bolices &c. habuit. Matrimonium eodem anno, quo  
Professor factus erat, contraxit cum lectissimâ virgine,  
**CATHARINA** Arnims/foeminâ à pietate, virtutum reli-  
quiū fonte commendandâ. Ex hâc suscepit 4. filios &  
unicam filiolam **MARGARETAM ELISABETHAM**,  
quæ juxta cum tribus filiis **ERNESTO**, **JOHANNE**,  
**HERMANNO**, in vivis esse desijt; uno liberorum eoq;  
postremo **JOHANNE FRIDERICO** superstite relicto, or-  
phano, quem adhuc puerum curæ cœlestis Patris com-  
mendamus, cui jam antè, cum cœteris qui supererant, à  
Parente suo, teste autographo, sedulò commissus est.  
Cum verò defunctus noster Conjugem hanc suam,  
quam diximus, Anno 1638. amississet, & ipse per Dei gra-  
tiam epidemicō morbo, ex quo insignem virium jactu-  
ram fecit, eluctatus fuisset, ad alia vota perrexit, ductâ  
Anno 1639. in Uxorem foeminâ lectissimâ **CATHARINA**  
**Drewes** / **NICOLAI Boddekeri** Civis quondam Ro-  
stochiensis viduâ, & nunc altera vice viduâ. Cœterum,  
cum esset venerandus noster Senior, ut suprà  
indicavimus, infirmæ admodum yaletudinis, (quam  
infirmitatem mirum in modum auxit antè mensem &  
quod excurrit, tristissimus filij primogeniti obitus)  
cumq; atrophiâ scorbuticâ, quæ remedia omnia respu-  
re videbatur, haſtenus laboraret, ad finem properavit,  
quem imminere sibi & voce & literis non unâ vice te-  
status fuit. Proximè igitur elapso die Dominico, qui  
erat

erat 6. Octobris, in ipsâ ad templum viâ, subitaneo lan-  
guore correptus, brevi post, sive doloris indicio exspira-  
vit. Peccator fuit, sed de peccatis eum doluisse & his  
meritū Christi opposuisse, testari queunt preces & vota,  
in delineatione vitæ, propriâ manu non ita pridem de-  
scripta, quibus Spiritum suum pretioso sanguine Christi,  
cujus peculium se dixit, redemptum, Trinuni Deo com-  
mendavit. Anima ejus in pace quiescat. Vos vero, Aca-  
demiae Cives, exemplū mortalitatis capite à Capite ve-  
stro. Quod si illud cecidit, cū ad pomeridiana sacra ten-  
deret, quid, quæso, securitatis sibi promittent, qui ad il-  
licita quæq; velut œstro quodā perciti properant? Cœ-  
cas mentes illuminet lux mundi! Nos, quod supereft, ul-  
timum humanitatis officium Magnifico Dn. Rectori  
& Facultatis nostræ Seniori, uti fas est, lubentes præsta-  
bimus, pietatis & beatæ ex hoc seculo emigrationis cu-  
pidi, nec tremendorum Dei judiciorum immemores

futuri. Id vero est, quod à Deo precamur. P. P. Ro-  
stochij sub sigillo Collegij Theologici, die  
10. Octobris, Anno 1650.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn746960840/phys\\_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746960840/phys_0013)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn746960840/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746960840/phys_0015)


DFG



temporis D E O mirabiliter dirige  
Etiam, Patriam suam Helyetiam, Pra-  
linquens in Romanum imperium  
sincerum verbum DEI pro germina-  
vir juvenis, Linguarum, Historiarum  
os, (cujus amore cum primis flagraba-  
incubuit, ita ut Imperator Caiolu-  
Poetica, in quibus inter alia egregi-  
niae descriptis, non sine singulari an-  
stante Cæsaris documento) legit, ac  
reâ, quæ tum magna erat dignitas, e  
occasione stemma Nobile Fidlerianum  
Album Nobilium Romani Imperii  
& ultra, pro placito Cæsareo coopta-  
tem utriusq; sexus derivandum, p  
renovavit. Huncq; meum præno-  
licem Fidlerum ob singularem eruditio-  
ingenij & animi Heroici dotes, pro-  
buit. Hac Nobilitate quamvis no-  
gratiâ Domini mei Jesu Christi, in i-  
menter mihi immerito concessâ:  
pudet, sed magis me nobilitare ci-  
S. S. Ministerium, ad quod Domini  
ministrum suum destinavit. Hæc  
summa dignitas, omnes humanas di-  
titulos superans.

Natus autem sum Ego CONS  
LERUS, Dantisci Anno 1579. 6. I  
tina Patre VALERIO FIDLERO  
re, quondam Ducis Prussiæ Archi-  
Alberti Friderici Consiliario, M  
gard præclaræ Familiæ, & insignium

A 2



mē dete-  
jos dere-  
am, ubi  
enit, ceu  
& Poëse-  
ligenter  
opera.  
Germa-  
tate (te-  
ltrò lau-  
rit, & hac  
cum, ad  
centum  
osterita-  
Cæsareo  
vum Fe-  
ræclaros  
ario ha-  
sed solâ  
erio cle-  
jesus non  
ogiam &  
avit, &  
as: hæc  
onorum

IS FID-  
tâ matu-  
e Docto-  
ij Ducis,  
d Herm-  
atronâ,  
qua